

Christianarum confiscata reddiderit¹, ad eius tempora res redigitur. Ordinationis Miltiadis cum diem noverimus nec magnopere differant quae de Eusebii, cui Miltiades successit, temporibus traduntur² neque quicquam ducat ad intervallum solito maius inter Eusebium et Miltiadem statuendum, Eusebii ordinatio recte referri potest ad anni 310 menses extremos vel sequentis anni primos. Sedis inter Marcellinum et Eusebium vacantis spatia certo tradita sunt consentientibus cum catalogi Liberiani codice codicibus Pontificalis. Ad hos numeros si intervallum computamus, coepit id Marcellino occiso secundo semestri a. 303. Quocum consentit qui scripsit concilium Sinuessanum Marcellinum significans damnatum esse a. 303 Aug. 23. Contra ab eius ordinatione a. 296 Iun. 30 si sequimur spatium episcopatus Liberianum, obiit episcopus m. fere Octobri a. 304; sed a numeris Liberianis his magnopere differunt traditi in Pontificali et potest admitti in iis corruptela. Eodem ducit, quod secundum dies consecrationis (a. 296 Iun. 30) et damnationis (a. 303 Aug. 23) Marcellinus sedit a. VII m. I d. XXIII. Corpus Marcellini depositum esse die XVIII k. Febr. = Ian. 15 cum constet tam ex indice depositionum episcoporum inserto chronographiae quam ex martyrologiis³, sperni poterit quod scribit liber Pontificalis depositum esse Apr. 25, cum per XXV dies insepultum iacuisset; ceterum per aliquod tempus id iusta sepultura caruisse consentaneum est utpote viri publice occisi. Efficitur ita, mutatis in Marcellini spatio annis VIII in VII, eum periisse secundo semestri a. 303; id quod recte convenit

1) Eusebius hist. eccl. 8, 14: *Μαξέντιος . . . ἀρχόμενος μὲν τὴν καθ' ἡμᾶς πλὴστιν ἐπ' ἀρεσκείᾳ καὶ κολακείᾳ τοῦ δήμου Ῥωμαίων καθυπεκρίνατο ταύτῃ τε τοῖς ἐπὶ κήδοις τὸν κατὰ Χριστιανῶν ἀνείνα, προστάττει διωγμὸν*. Augustinus brev. collat. c. 34: *legebatur Melchiae misisse diaconos cum litteris Maxentii imp. et litteris praefecti praetorio ad praefectum urbis, ut ea reciperent, quae tempore persecutionis ablata memoratus imperator Christianis iusserat reddi*. 2) Dies ordinationis traditus in catalogo Liberiano non est dubius nec magis dies depositionis in eadem chronographia servatus. Sed de hoc recte monuit Rossius *Roma sott.* 2, 209, cum Eusebius mortuus sit in Sicilia, nequaquam constare de anno translationis cadaveris in coemeterium urbanum, immo vix eam adscribi posse anno ei quo obiit. De spatio differunt catalogus Liberianus habens m. IIII d. XVI, et Index, cuius exemplaria meliora ei dant m. VI d. III, et Hieronymus adscribens ei m. VII; sed vel sic constat eum non perannasse. 3) Martyrol. Hieronymianum et sub die XVII k. Febr.: *Romae via Salaria in cimiterio Priscillae depositio sancti Marcelli episcopi* (al. *papae et confessoris*) et sub sequenti XVI k. Febr.: *depositio sancti Marcelli episcopi*. Nomen corruptum est similiter atque in Indice; inter episcopos Romanos qui vere fuit Marcellinus vulgo appellatur nomine non suo Marcelli.